

Aduertencias para

Specialiter videtur concessum habitantibus in  
Nouo Orbe, & concessum illis qui ad terras  
de China, & Cochinchina, &c. proficiscuntur.  
Quæ verba maxime notanda sunt: nam per  
illa respondetur ad dubium illud. Si Fratres  
Mendicantes existentes seu habitantes in In-  
sulis Philippinis, & in Regno Chinæ de Ci-  
an &c. gaudēt eisdem priuilegiis quibus vtun-  
tur, fruuntur, & gaudent existentes & admini-  
strantes in hoc Nouo Orbe. Nam responderetur  
quod sine dubio communicant in omnibus  
priuilegijs. Quod etiam patet per ea quæ Leo  
10 Ioanni Clapioni, & Francisco de Angelis,  
Fratribus Religiosis nostri Ordinis concessit,  
& alijs Fratibus Mendicantibus euntibus  
ad indianas Insulas, aliasquē Prouincias Caro-  
li Hispaniarum & Romanorum Regis Catho-  
lici ditioni subiectas, & illis propinquas ter-  
ras, vbi homines veritatis fidei cognitione  
carent. ¶ Et Doctissimus Pater Frater Ioanes  
Focher huius, Nouæ Hispaniæ præclarum lu-  
men in huius indulti explicatione, dicit in  
hoc Breui Fratibus Prædicatoribus ampli-  
ssimam concedi priuilegiorum alijs Reli-  
giosis quorumuis Ordinum vtriusque sexus  
concessorum, communicationem.